

FK/33.

47

IIα  
592

X 2316879

COMMENTATIO I.

Q.V.A

ORDINIS LEGES  
IN HUMANIORIS LITTERATVRAE CVLTVRA  
OBSERVANDAS  
EXPONIT

ET

AMPLISSIMVM SENATVM  
OMNESQVE REI SCHOLASTICAE PATRONOS

AD AVDIENDAM

CRASTINA LVCE, D. XXVII. MART. HOR. IX. MATVT.

NON MODO ORATIONEM SED ET DISPVTATIONEM  
IV VENIS PEREXIMII.  
CHRISTIANI GOTTLLOB. HADRIANI

BEVTHEN. SILES. INFER.

IN ACADEMIAM DISCESSVRI

INVITAT

M. FRID. CHRISTIANVS BAVMEISTERVS  
AVGVSTI GYMNASII GORL. RECTOR.

GORLICII,

STANNIS FICKELSCHERERIANIS.



**Q**uanta uis sit ordinis cum in omni uitae ratione, tum uel maxime in optimarum artium cultura, festiu narratiuncula declaratuit Melanchthon. „Fuit apud nos, inquit, mortio „quispiam, qui in heri culinam ex more ligna ferebat. Is solitus est „ex infima stture ea reuelare, quae moueri sine magno negotio non „poterant; interrogatusque, cur id faceret, respondit, se difficulti- „mam laboris partem primum conseretur, summa illa facilis mo- „ueri; nec uidit, quantum referret, singula ordine tollere. Huius „mihi persimiles uidentur, qui, fastiditis his artibus, ad sublimia „prouolant. Nam et augetur discendi labor, et incommodius „omnia tractantur, quum nondum sint perpoliti primis rudimentis.\*

Est ita profecto. Nihil recte sit, nihil succedit feliciter, negle-  
ctis iurazias legibus, quas ut quisque, cultioribus deditus litteris,  
sanctissime seruat, ita exoptatissimas in iis facere progressiones est  
existimandus. Labor, uel modicus, plus efficit, ubi, quae agis,  
apto disposita fuerint ordine, quam Herculeus, sine lege, sine or-  
dine, sine consilio suscepimus. Neque enim interest ad iter feliciter  
conficiendum, quam praecipi qui cursu, aut qua uirium conten-  
tione eo, quo tendit, peruenire cupiat, sed quam commodam ex-  
peditamque capeslat viam, quamvis circumspice tortuosos cal-  
lium anfractus confragosasque semitarum angustias evitet.

Quod idem prouidendum est omnibus iis, qui bonarum artium  
studiis suam addixerunt operam, uiam sibi ad futuram felicitatem  
munituri. Horum diligentia nisi dirigatur conformeturque ordinis  
regulis, quae suo quamque disciplinam tempore conuenientique lo-  
co disci iubent, abesse non potest, quin irritus sit, qui insumitur,  
labor, optatoque destituatur fructu.

Ad munieris ergo, quo defungor, partem pertinere arbitror, iu-  
uenibus, in Gymnasio nostro uarias ingenii bonaueque mentis exerci-  
tationes obire solitis, monstrare, qua uia in studiorum, quibus iu-  
ueniles animi in scholis informari solent, cursu progrediendum, et  
quibus ordinis legibus attemperanda sit diligentia, in humanitatis stu-  
diis collocata.

Ad humanitatis autem litteras, hoc enim primo loco monendum  
puto, pertinent linguarum, graecae maxime et latinae, cultura, histo-  
ria item, siue uera, siue fabulis inuoluta, ueterumque scientia rituum,  
eloquentia praeterea et poesis, critice denique, et, si quid iudico, phi-  
losophia. Quas omnes artes tam arcta inter se cognitione contineri  
scimus, ut nec, ob uirium mentis humanae limites, uniuersae simul,  
nec, quia altera ex altera nixa est, una sola, sed suo quaque tempore  
locoque disci debeat. Harum, si quaeras, quae sit primo, quae se-  
cundo loco pertractanda, accipe, quid praecipiat ratio, quam, tan-  
quam optimam recte sentiendi magistram, par est, ut semper alias,  
ita uel in primis in instruendo humaniorum litterarum ordine in con-  
silium adhiberi. Ecquid uero praecipit ratio?

Prima

\* In selectarum declamationum suarum Tom. I. p. 42<sup>16</sup>.

Prima ergo haec lex in studiorum rationibus moderandis, apteque disponenda elegantioris litteraturae ~~inventu~~ generatim fanciat, ut, quaecunque humanitatis disciplinae eiusmodi sunt, ut fundamenti quasi loco substerne debeat, aliisque scientiis plenius faciliusque intelligendis inferuant, in iis opera tibi princeps et prope omnis sumatur prius, quam ad ceteras pertractandas progrediaris. Est haec lex naturae fundamentis constituta; a qua qui descendunt, nac ii, finibus disciplinarum turbatis, efficiunt, ut difficultates, sibi ex transuerso obiectas, uix superent, superaturi, si naturam ducem sequi, et a facilibus, progressionē discendi, ad difficiliorā uoluissent transire.

Ita ergo nunc intelligis, quid sit, quod linguae, quarum tanquam cortice dulcissimus scientiarum sapientiaeque nucleus reconditur, primo loco pertractandae sint, et quanto fieri potest maximo studio excolendae. Linguis nisi, tanquam culturis, eruditionis solidioris compaginem communiqueris, quas, puras, te progressiones faciūrum in ipso doctrinae aedificio exstruendo?

At quaestio hic incidit subdifficilis, a qua potissimum lingua ordinandum sit elegantioris humanitatis studio, eidemque legum, quas naturalis sancit ordo, obseruantissimo, et quae primo, quae secundo, quae ultimo sit discenda loco.

Erudi, in contrarias distracti sententias, in hac quaestione definienda ita inter se dissident et discordant, ut alius aliam linguam, ut quaeque cuique est carissima, humanioris litteraturae uelut animam esse aiat, eamque praecipuo loco habendam existimet. Sunt, qui teutonicam cum ceteris omnibus, quin ipsa gallica principatu de certa re affirmant, eique, haec enim est labes saeculi nostri, tantum tribuunt, ut, quo quisque aptior est ad phantasiam dictiōnum carminumque teutonicorum facetus oblectandam, uel fabulas, quibus ducuntur pueri, conficiendas, uel impudicos amores uiuis depingendos coloribus, uel tragœdias comediasque conscribendas, hoc longius in humaniorum litterarum studiis progressus esse existimetur, quamvis graecae latiueque linguae, ceterarumque disciplinarum, quibus antiquae elegiacae humanitatisque politioris cultus instruitur, non modo sit ignarissimus, sed osor quoque infensissimus. Egregie uero!

Multum merentur ludi, qui, linguac patriae ueneres consecuti, in eo plurimum consumunt studii temporisque, ut, fordibus, quibus uernacula quondam commaculata erat, detersis, eam nitoris suo dignitatique restituant. At eam ita colere, ut latina negligatur, graeca ignoretur, num id est, humaniorum litterarum decus afferere? Num eos politioris humanitatis vindices putabis, qui graecae ac latiue linguae studia negligunt, et, quoquo modo possunt, adolescentulos ab antiquae elegiacae fontibus pure manantibus reuocatos ad riuiulos, qui lutulenti fluunt, consecrandos admonent, et a ueterum scriptorum integritate puraque dictione ad poetarum nonnullorum insuffitatem ineptiasque, imitatione effingendas, deducunt.

At

At suas sibi res habeant noui hi oratores, relinquantque cultioris doctrinae, ex fontibus ueterum scriptorum non inquinatis libandae, studiosis suas delicias, ex latinae linguae ueterisque eloquentiae cultura percipiendas. Suum latinae linguae pretium ab eruditissimo quoque statuitur merito, nec quisquam facile, qui bonarum litterarum aliquem sensum habet, dubitat, quisi ei in humanitatis studiis, ordine tractandis, prima et praecipua cura impendi debeat, exemplo Romanorum, qui prius graece, quam latine declamabant. \*

De quo cum copiosius hoc loco differere nunc non liceat, prope diem, per opportunam commentandi occasionem na<sup>t</sup>i, et causas, cur in humaniorum studiorum ordine primus latinac linguae locus deferri debeat, adducemus, et, qua via quoque ordine eius exercitationes sint instituendae, commentabimur, ad ceteras deinceps humanioris litteraturae disciplinas progressuri.

Reliquum est, ut indicem panegyrin, castrina luce instituendam. In concionem prodibit per acris iuuenis ingenii, speique egregiae,

**Christianus Gottlob Hadrianus**, Beuthen. Silef. Infer.

qui, cursu uitiae scholasticae bene feliciterque confecto, Gymnasio nostro supremum uale dicet, in Academiam Hallensem se recepturus. Multam apud nos laudem, ex quo hic uixit, uixit autem fere quadriennum, consecutus est iuuenis hic, morum doctrinaeque elegantia excultus, qui, compluribus ingenii, ad decus et gloriam excitatorius, et eloquentiae facultatisque poeticae documentis publice editis, luculenter ostendit, se et tempus bene utiliterque collocasse, et, ornatus mature liberalioris doctrinae praesidiis, spem optimi Parentis, cuius omnis cura in suo stat Ascanio, non explere modo, uerum quoque superare allaborasse. Gratulamur tam bono, tamque ad altasurgenti, alumno uitam academicam, cuius pericula scopolosque, nulli dubitamus, quin, diuina gratia adiutrice, et uirtute duce, sit evitaturus. Declamabit latine de iusto prelio antiquioribus et recentioribus eruditis starruendo, positionesque de Myopia morali disputando excutier defendetque, ultimum uale, carmine teutonico, dicturus. Discessuro faustissima quaeque, totius coetus nomine, apprecabitur iuuenis ornatissimus,

**Benjamin Gottlob Schneiderus**, Heinersdorff. Silef. qui carmine teutonico uerae amicitiae opportunitates enarrabit.

Ad hanc Panegyrin inuito quam humanissime obseruantissimeque Gymnasi Patronos, omnesque, qui Musas nostras amant. P. P. Gorlici, d. xxvi. Mart. c<sup>o</sup>loccLIII.

\* De quo Cicero in Bruto, Commentabar, inquit, declamans, (sic enim nunc loquuntur) quotidie, faciebam multum etiam Latine, sed Graece saepius, quod Graeca oratio plura ornamenta suppeditans consuetudinem similiter latine dicendi adferrebar. Cap. 90. Conf. Cellarius in Dissert. Academ. p. 693

IIa  
592

FK 133.  
47

X 23A 6879

COMMENTATIO I.

Q.V.A

ORDINIS LEGES  
IN HVMANIORIS LITTERATVRAE CVLTVRA  
OBSERVANDAS  
EXPONIT

ET

AMPLISSIMVM SENATVM  
OMNESQVE REI SCHOLASTICAE PATRONOS

AD AVDIENDAM

GRASTINA LVCE, D. XXVII. MART. HOR. IX. MATVT.

NON MODO ORATIONEM SED ET DISPVTATIONEM

IV VENIS PEREXIMII

CHRISTIANI GOTTLLOB. HADRIANI

BEVTHEN. SILES. INFER.

IN ACADEMIAM DEGESSVRI

INVITAT

M. FRID. CHRISTIANVS BAVMEISTERVS  
AVGVSTI GYMNASI GORL. RECTOR.

GORLICII,

STANNIS FICKELSCHERERIANIS.

